

1545

testatem redacta , spectare contulerent , atque incolis gravissimis minis , ac pœnis , ne ulli , præterquam Suleimano obtemperarent , interdixerant . Nova hæc , & inopinata Venetis cum rei ipsius gravitate , tum Jaderæ civitatis tuendæ causa fuere . Verum id jus Reipublicæ iis in locis erat , ut cum circumjactus ager ad urbem , non ad minora oppida pertineret , præfectorum tantummodo libidini , atque avaritiæ obſistendum esſet . Re cognita , Suleimanus negotium ad Chersegi præfectum , ac duos judices , quos *Cadi* Turcæ vocant , rejicit , qui cum Venetis ea de re statuerent . A Patribus negotium Marco Antonio Franciscio , scribæ a Secretis , committitur , qui Byzantio a legato in Illyricum hujus ipsius negotii causa missus fuerat : sed res diu multis contentionibus extracta non nisi post aliquot annos perduci ad exitum potuit . Hoc eodem anno Petrus Landus , Princeps , senio confectus , nam quintum & octogesimum annum exegerat , ex humanis excessit , magistratibus domi , ac foris integre , & prudenter perfunctus , cum sex annos , decemque menses Rempublicam gessisset : in funere a Michaeli Barocio laudatus est , in divi Antonii Fano conditus : duæ pro foribus illius marmoreæ inspiciuntur statuæ ; altera classis imperatorem , altera Principem exprimit . In defuncti locum Franciscus Donatus summo Patrum consensu Princeps creatus est .

*Suleimanus
Chersegi
præfecto ,
Veneti
Marco An-
tonio Fran-
ciscio nego-
tium finium
dein dāt .*

*Petri Lan-
di Principis
obitus .*

*Franciscus
Donatus
Princeps
creatur .*

M. D. XXXXVI.

Qui Principum animus , quive reipublicæ christianiæ stans non erat ; in Cæsare , ac Rege , Aurelianii Ducis obitu , consopita veterum injuriarum semina reviviscere cœperant . Spe Mediolani potiundi Rex dejectus , Allobrogum Duci Subalpina oppida pernegare ; Cæsar Germaniæ tumultibus distineri , iisque , ne statim in Regem arma converteret , remorari . Inter hæc Pontifex Farnesiæ familiæ amplificandæ desiderio æstuarie : novo , atque inexpectato consilio Parmæ , & Placentiæ urbes Petro Aloysio filio beneficiario jure tradiderat , ea conditione , ut singulis annis octo aureorum millia pensionis nomine Ecclesiæ penderet , Camertiumque principatum , ac Ne-

1546

*Franciscus
Rex Cisal-
pina oppida
Allobrogum
Duci dene-
gat .*

*Paulus Pô-
tifex Par-
mam &
Placentiam
Petro Aloy-
sio tradit .*

pe